



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Canon XVII. De fortitudine Christiana,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

Quod quàm sit contrariū, ipse Dominus (Joan. 6.) probat, qui non aliquos, sed neminem ad se posse venire testatur, nisi quem Pater attraxerit. Sicut & Petro dicit (Matth. 16.) *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in caelis est.* Et Apostolus (1. Cor. 12.) *Nemo potest dicere Dominum Jesum Christum, nisi in Spiritu sancto.*

CANON IX.

De adjutorio Dei.

63. Divini est muneris, cū & rectē cogitamus, & pedes nostros a falsitate & injustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.

CANON X.

De eodem.

64. Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.

CANON XI.

De obligatione votorum.

65. Nemo quidquam Domino rectē voverit, nisi ab illo acceperit, sicut legitur (1. Par. 29.) *Quae de manu tua accepimus, damus tibi.*

CANON XII.

Quales nos diligit Deus.

66. Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito.

CANON XIII.

De reparatione liberi arbitrii.

67. Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi non potest reparari, quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Unde ipsa veritas dicit (Joan. 8.) *Si vos Filium liberaveritis, tunc verē liberi eritis.*

CANON XIV.

De misericordia Dei.

68. Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordiā praevenitur, sicut dicit Psalmista (Psalm. 8.) *Cito anticipet nos misericordia tua Domine.* Et illud (Psalm. 8.) *Deus Deus meus, misericordia ejus praeveniet me.*

CANON XV.

De mutatione praevaricationis Adae.

69. Ab eo quod formavit Deus mutatur Adam, sed in peius per iniquitatem suam: ab eo quod operata est iniquitas mutatur fidelis, sed in melius per gratiam Dei. Illa ergo mutatio fuit praevaricationis primi, haec secundum Psalmistam (Psalm. 76) *mutatio dexterae Excelsi.*

CANON XVI.

Quod nemo gloriatur de substantia sua.

70. Nemo ex eo quod videtur habere, gloriatur, tanquam non acceperit, aut ideo se putet accepisse, quia litera extrinsecus, vel ut legeretur, *Tom. IV.*

A apparuit, vel ut audiretur, insonuit. Nam sicut Apostolus dicit (Gal. 2.) *Si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Porro autem si non gratis mortuus est: Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Inde habet, quicumque habet. Quisquis autem inde se habere negat, aut verē non habet, aut quod habet auferetur ab eo.

CANON XVII.

De fortitudine Christiana.

Fortitudinem Gentilium, mundana cupiditas, fortitudinem Christianorum, Dei charitas facit, quae diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, nullis meritis gratiam praevientibus.

CANON XVIII.

De mercede boni operis.

Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia quae non debetur, praecedit ut fiant.

CANON XIX.

Neminem nisi miserante Deo salvari.

Natura humana, etiam si in illa integritate in qua est condita, permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Unde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?

CANON XX.

Nihil boni hominem posse sine Deo.

Multa in homine bona fiunt, quae non facit homo. Nulla verò facit homo bona, quae non Deus praestet, ut faciat homo.

CANON XXI.

De natura & gratia.

Sicut eis qui volentes in lege justificari & à gratia exciderunt, verissime dicit Apostolus (Gal. 2.) *Si ex lege justitia est, ergo Christus gratis mortuus est:* sic & his, qui gratiam quam commendat & percipit fides Christi, putant esse naturam, verissime dicitur: *Si ex natura justitia, ergo Christus gratis mortuus est:* jam hic enim erat lex, & non justificabat; jam hic erat & natura, & non justificabat. Ideo Christus non gratis mortuus est, ut & lex per illum impleretur, qui dixit (Matt. 5.) *Non veni legem solvere, sed adimplere:* & natura per Adam perditam, per illum repararetur, qui dixit (Luc. 19.) *venisse se quaerere & salvare quod perierat.*

CANON XXII.

De his quae hominum propria sunt.

Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque justitiae, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati, non deficiamus in via.

CANON XXIII.

De voluntate Dei & hominis.

Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, *D*